

aut juribus Regni nostri Anglie Et ita quod eedem ordina-  
ciones se non extendunt ad jus vel interesse alicujus persone P. R. O.  
sive aliquarum personarum de aut in membro vita libero tene-  
mento bonis seu Catallis aliquoaliter astringendum ligandum  
onerandum seu tollendum Porro ut nova Colonia populi eadem  
confluentis multitudine feliciter crescat pariter et a Barbarorum  
aliorumve hostium Piratarum et Predonum incursibus firmiter  
muniatur Idcirco nos pro nobis heredibus et Successoribus  
nostris omnibus hominibus et Subditis nostris heredum et Suc-  
cessorum nostrorum ligeis presentibus et futuris nisi quibus id  
specialiter fuerit interdictum se familiasque suas ad dictam  
Provinciam cum idoneis navigiis et comeatu congruo transfe-  
rendi sedesque suas ibidem collocandi incolendi et inhabitandi  
Castraque et Castella seu alia Fortilicia ad prefati modo  
Baronis de Baltimore et heredum suorum arbitrium pro defen-  
sione publica et sua extruendi et muniendi facultatem licenciam  
et libertatem damus et Concedimus per presentes Statuto de  
Fugitivis vel aliis quibuscunque in contrarium premissorum in  
aliquo non obstante Volumus eciam et ex uberiori gracia  
nostra pro nobis heredibus et successoribus nostris firmiter  
precipimus constituimus ordinamus et Mandamus Quod dicta  
Provincia de nostra ligeancia sit Quodque omnes et singuli  
Subditi ac ligei nostri heredum et Successorum nostrorum in  
prefata Provincia deducti vel deducendi ipsorum et aliorum de  
ipsis descendencium liberi ibidem seu jam nati seu imposterum  
nascendi sint et erunt indigene et ligei nostri heredum et Suc-  
cessorum nostrorum Regni nostri Anglie et Hibernie Ac in  
omnibus teneantur tractentur reputentur et habeantur tanquam  
fideles legei nostri ac heredum et Successorum nostrorum infra  
Regnum nostrum Anglie oriundi Necnon terras tenementa  
revenciones servicia et alia hereditamenta quecunque infra  
Regnum nostrum Anglie ac alia dominia nostra hereditare seu  
aliter perquirere recipere capere habere tenere emere et possi-  
dere ac eis uti et gaudere eaque dare vendere alienare et legare  
Ac eciam omnia libertates Franchesias et privilegia hujus regni  
nostri Anglie libere quiete et pacifice habere et possidere eisque  
uti et gaudere possint tanquam legei nostri infra dictum Reg-  
num nostrum Anglie nati seu oriundi absque impedimento  
molestacione vexacione impetitione sive gravamine nostri  
heredum vel Successorum nostrorum quorumcunque Aliquo  
statuto Actu ordinatione seu provisione in contrarium inde  
non obstante Preterea ut Subditi nostri ad expeditionem hanc  
prompto et alacri animo suscipiendam incitentur Sciatis quod  
nos de gracia nostra speciali ac ex certa sciencia et mero motu  
nostris tam prefato modo Baroni de Baltimore et heredibus  
suis quam aliis omnibus de tempore in tempus habitandi vel  
cum Incolis Provincie predictae Comercium Habendi causa in